



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1479. usque ad annum 1494

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118340**

§. 45. Pax inter Galliarum & Romanorum Regem.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66444](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66444)

Sæcul. XV.

A.C. 1493.

gabant, rationum momentis, eorum preces rejectæ fuerunt; Carolus enim Italici belli desiderio captus, omnia consilia ad regni sui incrementum propostâ flocci pendebat, eademque ratione permotus, cum Romanorum Rege pacem sancire festinabat, pactis conditionibus Maximiliano non minus proficuis, quam simul æquitati consonis; justitiæ enim Legibus adversatus fuisset Carolus, si Margarita Austriaca Maximiliani filia ad Patrem suum remissa, nihilominus dotem suam a Galliarum Rege detentam amisisset.

§. XLV.

*Pax inter Galliarum & Romanorum Reges.*

Comin. tom.

5. edit. 1723.

p. 426.

P. Daniel

hist. Franc.

tom. 5. p. 75.

Mezer. ab-

reg. Chron.

tom. 4. p. 47.

**M**aximilianus Romanorum Rex, cum solus totam belli molem sustinendo impar esset, pro avertendis a se armis medium excogitabat omni expectatione felicius: inducebat enim Rex cunctos Belgicæ Provinciæ Ordines, ut Bruxellis comitia agerent, ac decernerent, quod tam suo, quam sui Principis Philippi Austriæ Archiducis nomine, quin tamen de Maximiliano ejus Patre mentio fieret, solemnem Legationem ad Carolum Galliarum Regem destinare velint, eo consilio, ut Regi pacta, quæ cum eis olim Ludovicus XI. iniisset, redderent.

rent, peterentque, ut Rex, cum non modo hisce pactis stare renuisset, sed etiam Margaritam Archiducissam remississet, saltem illius dotem integram, atque intactam restitueret. Præter hæc eisdem Legatis injunctum est, ut Regi exponerent, quod sat injuriarum eis a Gallo esset illatum, eoquod augustissimam Archi-Ducis Belgii Domini sororem repudiasset, si vero contumeliam nova usurpandæ dotis iniquitate augere attentaret, abs dubio jura gentium violaturus esset. Valuit legationis successus; hi enim Oratores dexteritate sua sibi devinciebant duos novellos Caroli Regis clientes, Guilielmum Brissonnetum, & Stephanum de Vese seu Versium, qui e Caroli olim Delphini famulatu ad supremam regii cubiculi Præfecturam, ac Belloquadrensis Senescallatus dignitatem evehctus est. Hi igitur ambo Regis animum ad reddendam dotem eo facilius inclinabant, quo minor erat Borbenii Ducissæ auctoritas apud Regem fratrem ejus; is enim alienum regimen pertæsus, deinceps solus imperare animo constituit.

Ergo conventu Sylvanecti habito de articulis actum est, totumque negotium die vigesima tertia Maji utrinque firmatum, his conditionibus. I. Romanorum Regi, tanquam Philippi Austriaci Patri, Burgundiæ, Arthesiæ, & Car-

*Mariana l.c.*

*Hist. Eccles. Tom. XXX. K k lesii*

Sæcul. XV.  
A. C. 1493.

Sæcul. XV.  
A.C. 1493.

*Nogent.*

lesii Comitatus, unacum Nonigentana toparchia restituantur, salvis supremi principatus juribus Galliarum Regi propriis. II. Cordæus Marecallus Ariam, Hedenam, & Bethuniam urbes occupet, donec Archidux vigesimum ætatis annum emensus fuerit, quo expleto præfatæ civitates eidem restituantur, præstito clientelaris obsequii Sacramento, quod jure fiduciario Carolo Regi debitum esset. III. Galliarum Rex Atrebatum recuperet, urbisque Præfectum constituat. IV. Regi cedant Maconensis, Antiffiodorensis, & Bariensis ad sequanam Comitatus, usque dum de controverfo eorum jure inter partes conventum fuerit. V. Judicum sententia decidantur cunctæ lites inter Regem Franciæ, & Romanorum Regem circa Atrebatense foedus exortæ, id ipsum etiam Archidux tutoris potestatem egressus præstito jurejurando ratum habeat. His pactis Burgundiæ & Artesiæ Comitatus ab imperio gallico distracti, non nisi sero admodum tempore eidem denuo aggregati fuere.

§. XLVI.

*Caroli consilia de bello Neapolitano.*  
Postquam Carolus diffidiis cum Angliæ Rege, Ferdinando & Isabella, necnon Romanorum Rege compositis, regno suo optatæ pacis otium conciliaverat,  
unice